

tustiorem, *Gassendicam* à restauratore, *Neo-Democriticam* aut *Vacuistarum* sectam à recohētis Epicuri & Democriti hypothesisib, haut incommodē quis dixerit; ab Epicuræa veteri tamen in eo discrepantem, qvōd impia negatæ providentiæ divinæ, immortalitatis animarum, ac similia dogmata Epicuro propria, suis ceu Christianos decet, exulare finibus æternūm jussérat. His quarta paulatim succedit *Neo-Platonica*, numero tamen asseclarum vix comparanda cœteris, & paucis quibusdam scriptis publicis (qualia sunt e. g. *Philosophia vulgaris refutata* Parisiis 1670. edita, & *Henrici Mori tractatus de anima* Roterodami 1677. excusus) sui propagatio-nem molita.

XL. His autem ita per Orbem literarium longè lateqve diffusis ac de familiæ gloria, pro dogmatum characteristi-corum specie & prorogatione finium, tanquam pro aris & focis acerrimè decertantibus, cùm nihilominus & gregatim alicubi, & sparsim per omnia Europæ regna & provincias, reperiantur Viri doctissimi magno numero, qui nulli memoratarum sectarum addicti, veterum Eclecticorum mo-re, qvod in unaquaque libero defœcatoq; judicio depre-hendunt verum, omni procul partium studio colligunt, su-isq; inventis & cogitatis pro sua quisque virili adaugent quo-tidie & exornant; hoc nobis impræsentiarum demonstrare propositum est: *Eclecticum hunc Philosophandi modum non ut-tiliorem tantum esse & augmento scientiarum accommodatiorem isto altero sectis familiaris, sed & Viris cordatis & nunc & olim quamplurimis, ipsis adeò Sectarum Antesignanis, probatum, homine Philosopho dignum, ac rationi consen-taneum magis esse.*

